

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XXVII.

S Utinam, mi suavissime Marpachi, tua & pia & mihi gratissima conversatione diutius frui nuper potuissem. Nam communicatione prolixâ variâq; præter voluptatem summum etiam fructum percepissem. Sed gratiam tamen ago Domino, quod vel eatenus, nobis colloquendi facultas data sit. Eundem precor, ut te diu, Ecclesiæ fidelem Antistitem, & mihi fratrem ex animo charum & venerandum, conservare diutissime incolumem velit. Res nostræ per Dei gratiam salvæ sunt & pacatæ satis. Nam Episcopus noster cristas demisisse videtur, & militem præsidiarium dimisit. Luget ob Cancellarium defunctum morte improvisâ; quia sponsus factus, priusquâ nuptias celebrâret, acutâ febre correptus periit. Juvenis is fuit, jurium Doctor, ingenio solerti quidem, se admodum feroci, cujus consilia fere ad motus spectare videbantur, ut & episcopatu & nobis optatum potius quam luctuosum haberi debeat fatum ejus, nisi deterior succedat. Si nescis, Calvino nostro controversia moveretur ob prædestinationem, à quibusdam male feriatis, quorum Coryphæus etiam facem præstitit incendio, quod contra me apud Bernates Ministerii & Sacramentorum nomine excitatum est pridem. Adeo ubiq; vigilat Satanas, ut per contentionum studia pietatis veræ cursum remoretur. Qui has præfert, juvenis, sic apud nos se gessit, ut virtutis, pietatis & diligentia testimonium amplissimum meritissimo suo à bonis omnibus referat. Et quia per me tibi commendari voluit, te, mi charissime frater, obsecro, ut adjuves egregiis dotibus, & quantum ego judicare possum, spei singularis juvenem. Sed vale in Christo Jesu, cum tuis omnibus. Basil. 12. Martii Anno 1555.

T. S. Sulzerus.

XXIIX.

S Rheti nostri Contzium, ut vides, vocant, mi doctissime Marpachi, qui ut missionem queat impetrare, tuam operam interventumque imploro. Sic enim comparatæ rationes Ecclesiarum Rheticarum sunt, ut suorum operâ indigeant, eò quod Itali alienigenæ, minus apud ipsos cum gratiæ, tum fidei habeant. Tum quod plures per hypocrisin se ingerentes, non perinde frugiferi videantur. Tu ergo, mi frater, qui Ecclesiarum exterarum etiam curam geris, neq; hac in parte deeris votis non impiis suorum. Efficiam, si quid ego possum, ut beneficium scholæ Ecclesiæq; vestræ agnoscat, & per occasionem compensetur. De Brandenburgensibus contra Henric. Brunsvicensis proq; Alberto serid etiam apud Imperatorem agentibus accepimus quædam, ut videantur illi quodvis periculum subituri, quo AntiChristi ille

G

ms. 4. 1100.

humilietur, aut reprimatur saltem, in tot præsertim ordines imperii injurius. Sed hæc nimirum tu plenius omnia explorata habes. Tractatus de pace inter Cæsarem & Gallum, in spongiam abiisse dicitur. Atq; ea pro dolor tempora sunt ut neq; bellum torerabile, neque pax salutaris fore videatur. Ad eò vexantur spiritu vertiginis supremi monarchæ, ob pertinacem nimirum populi impenitentiam. Sed vale: in Christo cum tuis omnibus, Domine & frater unice mihi colende. Basil. prid. Cal. April. Anno 1555.

T. Sulcerus.

XXIX.

Sæpe de te, mi suaviss. Marpachi, deq; Ecclesiâ vestrâ cogito, eò quod te Antistitem insigniter cum tuis sudantem ad temonem remosq; video, & illam ceu in salo quodam, miserè & satis cum periculo huc illuc fluctuantem, quæ res & vobis laborem augeat, & tempestatem, satis perspicio. Non novum illud quidem, sed deplorandum malum. Quo ut merito ob fraternam compassionem perturbor, ita vicissim vehementer me recreat, quod statum vos animi fixum in Domino retinetis, perspicuitate alacritateq; doctrinæ contra Antichristi regnum pugnatis, indictâ ad reliquos vobis sanctâ patientiâ, & æquanimitate, veris Christi servis dignâ, qua certum est, triumphum paulò post per Dominum reportaturos. Ut ergo, cum meis ego, vestris laboribus afficior, sic quod unum possum orationibus nostris ad Dominum piatissimos conatos sanctaq; studia, juvare insisto. Libens interim meam operam præstiturus, si quam ulla occasione queam præstare. De Gallicanæ apud vos Ecclesiæ ministro, miror ut res habeat, & qua ratione vobiscum in doctrina religionis convenerit? Sed forsân ille ex sanioribus est. De Tossano fama certè falsa evulgata est, ceu ille monstra Servetanæ hæreseos vel clam vel publicè foveat. In græ enim ille probatæq; doctrinæ semper fuit & est hodie; odioq; à quibusdam in hanc suspicionem tractus est. Primum ex eo, quod cum Serveto voluisset non ad eò ad ignes properatum, sed carceribus potius perpetuis coercendum. Qua tamen in re facile satisfieri sibi vel à me solo passus est, ut factum deinde non improbarit. Deinde quod ex confratribus quendam non cura verit ejiciendum illico, qui ut veritatem eliceret solidius, de industria contrariis argumentis, aliis quibusdam se opposuisset, vera affirmantibus, idq; calore (ut sit) disputationis provectus paulò fecisset vehementius & importunius. Qui tamen super eâ re interpellatus, sanctè restatus est, quæ adduxisset, à se non solum non probari, sed extremè etiam damnari, doctrinæ Christianæ receptæque articulos singulos, & professum esse hætenus annis compluribus & professurum ad mot-